



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXXV. De Bello Dominorum Prussiae contra Polonos, Lithvanos,
Ruthenos &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XXXV.

De

Bello Dominorum Prussiae contra Polonos, Lithuanos, Ruthenos &c.

ANNO Domini MCCCCX. in die divisionis Apostolorum Domini terræ Prussiae cum suis subditis & adhærentibus contra Polonos, Lithuanos, Ruthenos, Samogitas, Tartaros & alios barbaros & infideles pugnabant in territorio (a) Osterodensi, & succubuerunt Domini Ordinis, Magistro generali Ulrico de Jungingen cum Præceptoribus quamplurimis & subditis & stipendiariis occisis, Rege cum suis obtinente triumphum. Bellum hoc grande erat nimis, in quo ex utraque parte permulta millia hominum corruerunt. Et sicut retulerunt Heroldi & alii famosi & fide digni, qui prædicto bello interfuerunt, (b) plusquam 60. millia virorum ceciderunt de utrisque partibus. Imo referebantur ab eisdem, quod Tartarorum Imperator, vel Marschalcus Regi Poloniae & Witoldo cum 30. millibus virorum pro tunc venerat in subsidium, & ab inde recessit duntaxat cum 3. millibus. Qui tunc de Ruthenis & Lithuanis, quorum Principes cum populo quasi innumerabili advenerunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Hæc est illa pugna TANNENBERGENSIS, (à pago Tannenberg inter Hohenstein & Gilgenburg sito, ad quem commissa est) quæ majorem Prussia nunquam vidit. Annum, quo pugna hæc commissa est complexus est nescio quis sequenti versu:

BELLA fecit ULrich Magister Ipse Polonis.

(b) Hæc est probabilissima sententia, quam habet Continuator Dusbürgii. Alii numerum caesorum nimium quantum augent. Quidam ex Cruciferorum exercitu 40. millia caesa esse autumant, quidam 50. millia. Negat hoc fieri potuisse Schuzius, cum Cruciferi nunquam aliàs tantum exercitum aluerint, non longè etiam post hanc pugnam iterum 3. millia amisisse tradantur, quod fieri non

potuisset, si tantam cladem tunc fuissent passi. Absurdus plane est Commendator Vincentii Kadlubkonis Polonici Scriptoris, qui centum & triginta millia & quadringentos de Cruciferorum exercitu cecidisse scribit *in Comment. ad lib. II. Epist. 14. p. 145.* Quantum Polonorum hic loci occisorum fuerit numerus itidem parum compertum est. Sunt qui sexaginta millia numerant, alii numerum augent. Chronicon quoddam, quod citat Hennebergerus, dicit centum triginta quinque millia Polonorum, Tartarorum & Russorum periisse. Sed fides habenda est Auctori nostro, qui hæc ex iis habet, qui ipsi pugna interfuerunt. Vid. Caspar. Henneberg *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 446.* Casp. Schuz. *lib. 3. Chron. Pruss. fol. 102.* Matthias de Michovia *lib. 4. c. 43.* Jodocus Ludovicus Decius *lib. 2. de Familia Jagellonis.* Cromerus *lib. 16.* Herburus *lib. 13. c. 5.* Joach. Cureus *in Chron. Siles. fol. 119.* Salomon Neugebauerus *lib. 5. Hist. Polon. pag. 270.*

CAP. XXXVI.

De

Henrico de Plauen Magistro Generali.

POST mortem Ulrici de Jungingen in bello interfecti, (a) electus est Henricus de Plauen, Dominica ante Festum S. Mariæ, cujus electioni interfuerunt (b) Magister de Almannia & Livonia. Tunc Civitates hujus terræ ad Dominos nostros redierunt, quæ post bellum compulsæ Regi Polonorum homagium præstiterunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Vel potius se ipsum elegit. Post pugnam enim Tannebergensem non nisi tres Ordinis fratres ex potentiori Nobilitate superstites fuere, nimirum Henricus Reus à Plauen Vicesgerens Magistri generalis & Commendator Schvvetzæ, Michael Sternbergius Provisor Neofori, & Henricus Reus à Plauen prioris Henrici patruelis Commendator Gedanensis. His ceteri Fratres liberam, quem ex numero suo vellent, eligendi potestatem detulerunt. Alter Plauenio-